



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christophori de Ortega Sanclementini, E' Societate
Iesv. Qvondam in Provincia Toletana Theologiæ
Scholasticæ publici Professoris ... Tractatvs Dvo, De
Trinitate, Nec non, Incarnatione**

Ortega, Cristóbal de

Lugduni, 1664

Qvæst. III. An Verbum partes etiam integrales mnes in perperuum
assumpserit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94251](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94251)

non autem solū diuina, opus fuit animam, & mentem assumi, quæ potior humanitatis pars est: ac proinde caro ex vnione ad animam habet quod sit vnibilis verbo in persona, ac per illam caro, seu materia assumpta est vt personam eandem cum verbo constitueret, quam non constitueret, & si ex vnica præsiuē, vel negatiuē animæ à verbo assumeretur, vt assumpta quæuis pars iuxta dicta, fuit, nihil curantes, an sic etiam ad id anima per carnem assumpta fuisset. Atque hæc quidem Concilij, & S. Thom. mens mihi non dubia.

6. Aliam tandem contra eundem errorem sententiam, imo, & argumentum aliud alicubi Patres continent. Naz. orat. 38. quæ est in natiuit. & orat. 42. quæ est 2. in Pascha, sic habet: *Qui nullo contineri potest interuentu animæ intellectualem inter diuinitatem, carnisque crassitiam interiecta continetur.* Atque epist. 1. ad Cleonem sic contra Vitalium Apollinaristam fatetur. *Mens menti, vt pote propinquiori, magisque familiari iungitur, ac per eam carnis mediū videlicet locum obinemat inter diuinitatem, carnisque crassitiam.* Ex quo sententiā mutuatur videtur Damascen. 3. de fide. c. 6. his verbis: *Dei verbum per mediam mentem carni vnitum est: interiectam videlicet inter Dei puritatem, & carnis crassitiam.* Ac tandem Nizetas in orat. 1. Apologet. ad illa verba assumpta caro, atque ad recitata ex oratione 42. sic scribit: *Anima enim propter imaginis dignitatem, atque intelligendi vim Deo coniunctior est: ac proinde hæc prima, vt materia expertis, diuinitatis particeps facta est.* Consonatque S. Thom. verbis recitatis. Sensus autem apertus est contra Apollinarium; & asseclas prius ordine dignitatis, & vicinitatis, vt sic loquar, assumptam à Deo fuisse animam, & mentem, quam carnem: cum sit anima Deo entitatiuē vicinior, proximiorque, quam caro: quare minori transacta distantia animæ, ac menti vnitum esse verbum, quam carni: prioritas ergo illa vnionis ad animam non est aliqua naturæ prioritas, sed propinquitatis caritativæ.



QVÆSTIO III.

An verbum partes etiam integrantes humanitatis omnes in perpetuum assumpserit?



HUMANITATIS partes essentielles, vt anima, & materia, assumpsas in se fuisse probatum satis est qd. atque in perpetuum assumptas, numquamque dimissas, nec dimitendas dogma catholicum est ex illo proloquio etiam dogmatico. *Quod semel assumpsit nunquam dimisit.* ad eam veritatem statuendam præcipue à Patribus adinuentum, atque à Theologis receptum: qua de re videndus in primis est Damasc. 3. de fide c. 27. Sed præter has aliæ humanitatis partes sunt, quæ integrales vocantur, quia ipsam integrant. Ex quibus aliæ integrant tanquam necessaria facultatum ipsius organa, & instrumenta, vt ossa, caro nervi, ac membra denique humani corporis omnia, quæ proinde partes organicæ appellantur: aliæ verd, vt corporis alimenta, & ornamenta, vt sanguis, capilli, vngues. De integrantibus organicis nulla est inter Catholicos quæstio assumptas in se à verbo fuisse. Hoc enim definitum est dum perfectus homo à verbo assumptus, animaque, & caro assumpta à Patribus, & Concilio definitur. Cumque naturam, quæ in Adamo plantauit, non mutilam, & monstruosam, verbum assumpserit, partes omnes organicas assumpsisse certum omnino est, vt luculenter tradunt Leo M. ferm. de natiuit. cap. 2. Damasc. 3. de fide c. 3. & 6. Accedit hoc maxime decuisse, & filium assumptentem, & Trinitatem incarnationis opificem, opusque ipsum per illam obeundum. Tota ergo quæstio de aliis partibus integrantibus esse potest, an omnes assumptæ à verbo fuerint, ac tam de his, quam de or-

ganicarum aliquibus an fuerint in perpetuum à verbo assumptæ.

CERTAMEN I.

Aliorum sententiæ proponuntur.

1. Sanguinem humanitatis assumptum in se à verbo non fuisse, sed solum mediâ ratione corporis, in quo contiguitate continebatur docuit expressè Durand. in 4. d. 10. q. 1. num. 19. cui præire videtur Gabr. lect. 57. in Can. littera K. sed ipse in supplemento ad 4. sententiar. d. 44. se disputatiuè solum tunc locutum fuisse fatetur. Id autem Pij. Pa. 2. xate nonnulli Scholastici docuerunt: ac postmodum Barcinonensis Theologus in publica concione, vt referunt Syluester in rosa aurea tract. 3. q. 31. Ioannes Dominicus de Dominicis in quæstionibus Evangelicis in Paschate, & lib. de sanguine Christi, ac directorum inquisitor. 2. p. q. 10. Referuntur pro eadem sententiâ Abulensis, & Ricardus citandi: cum tamen solum negauerint sanguinem primario assumptum, quod verum esse potest, licet in se immediatè assumptus à verbo sanguis fuerit. Caietanus 3. p. q. 54. a. 2. respons. ad 3. duplicem sanguinem in humanitate distinguit: alterum imperfectum, & nutrimentalem solum, nec viuentem; alterum, qui pertinet ad veritatem naturæ: atque hunc assumptum à verbo fuisse, secus illum. Consensit Syluester proximè, licet vtrumque viuere sentiat esse probabile. Sed cum sanguis totus continuus eisdem venis inclusus, atque animalis nutrimentum, ac in spirituum vitalium, & animalium materiam, & vehiculum animalibus corporibus datus sit, vana est duplicis sanguinis, viui, ac non viui distinctio contra philosophiam omnem inuicta: solo scilicet celexæ contra Durandum laxæ, infra à nobis subiciendæ metu: quam tamen hi Doctores non effugiunt si enim sanguis ille imperfectus, ac nutrimentalis solum verè sanguis absolutè est, ac sanguinis, nomine absolutè vocandus, & intelligendus venit, definitione de sanguinis absolutè dicti assumptione sua hæc sententiâ damnatur.

2. Tertia sententiâ docet sanguinem quidem assumptum à verbo fuisse, non tamen in perpetuum: sed effusum statim ab illo dimissum. Ita Abulens. paradox. 2. cap. 43. Ricard. in 3. d. 2. à 2. q. 1. circa finem Maior. in 4. d. 43. q. 1. & ferm. qui incipit: *Mentem fecit*, & alio, qui incipit: *Nolite timere*. Franciscus Ruere Franciscanus postea Cardinalis S. Petri, ac deum Sixtus Pa. 4. manuscripto apud Bibliothecam nostri Collegij Romani, videturque non alius sententiâ fuisse memoratum Theologum Barcinonensem. Eam vero temperavit Franciscus Collius Mediolanensis Theologus Collegij Ambrosiani tract. de sanguine Christi, lib. 5. c. 5. docens effusum sanguinem, qui in resurrectione à Christo Domino resumendus erat non fuisse à verbo dimissum: cum vero, qui apud nos erat mansurus, nec à Christo iterum recipiendus fuisse à verbo in triduo mortis, ac deinceps dimissum. Hanc etiam distinctionem nulla, siue ratio, siue Patrum autoritas admittentis sed puris censoriarum metus, quas neque omnino deuitat. Cum moderatio hæc æquè, atque Abulensis sententiâ in illud dogmaticum proloquium impingat: *Quod semel assumpsit nunquam dimisit.* Sed tamen sic temperatam sententiâ sequuntur Vvadingo d. 4. dub. 10. num. 130. Bernal. d. 26. lect. 3. num. 21. Lugo d. 14. lect. 4. num. 64. in eoque videtur tandem vergere Soar. d. 15. lect. 4. ad 5.

3. Quarta, & communis sententiâ docet sanguinem totum humanitatis assumptum in se à verbo, in perpetuum.

perpetuum fuisse, neque sparsum vllum ab eo esse dimissum. Ita Albert. M. de sacrificio Missæ. Lyra in id ad Hebr. 9. *Quanto magis sanguis Christi.* Capreol. in 4. d. 11. q. 1. à 2. contra 1. conclus. Maior. in 3. d. 37. q. 25. Turrecremata in caput inuitat. de consecrat. d. 2. Syluester in rosa q. 31. tract. 3. Sotus in 4. d. 10. q. 1. à 2. Capreol. d. 11. q. 1. à 2. ad 5. contra 1. concl. Vasq. d. 36. c. 4. Valentia 3. p. d. 1. q. 5. pun. 1. Soar. d. 15. lect. 6. Valentia verò non totum sanguinem effusum à Christo resurgente resumptum putat, sed aliquem apud nos adhuc manere, verbo tamen vnitum perseveraturum semper, patriæque proinde adorandum: de quorum primo hic inferius dicemus; de secundo verò controu. penult. d. de adorat. illud hic annotabo. Plerosque ex his Doctõribus communis huius conclusionis probationem ex alia minus mihi probata ratione philosophica, siue animalica desumere: quòd scilicet sanguis humanitatis ab animo rationali, vel saltem à viuente animo informetur. duplicet autem ratio primo: quia iuxta Aristotelem, probatioremque, & communiorẽ philosophiam sanguis, neque rationali, neque viuente aliquo animo informatur, vt latius controu. de anima ostendebamus. Secundo: quia eo adhuc admisso inde sanguinis vnio cum verbo nulla firmiter deducitur, quæ tamen aliunde solide probatur, vt cert. 2. patebit.

4 De humoribus reliquis pituitabili &c. eodem modo, ac de sanguine cui sunt admixti, Doctores omnes consentiunt, quare totidem de eis, atque de sanguine opinioniones feruntur; de capillis, & vnguibus assumptos à verbo fuisse negant Vasq. d. 36. cap. 7. num. 34. Bernal. d. 26. lect. 3. num. 18. Affirmant vero Abulen. vbi proximè Soar. d. 15. lect. 7. concl. 2. Lugo d. 14. lect. 8. num. 109. Vvadingo. d. 4. dub. 10. sine. Tandem de accidentibus humanitatis calore, & similibus Recentiores memorati à Bernale num. 25. assumpta à verbo fuisse censebant. Hic contradicit Bernal. num. 26. imò & Doctores omnes, tam ex iniuribus, quam ex veteribus oppositum supponentes potius, quam disputantes. Et merito quidem: cum nullum sit, vel apparens in Patribus, aut scriptura, aut ratione eius afferendi fundamentum: quod admittat etiam accidentium ad vnionem hypotheticam assumptibilitate, ad rem tamen de facto asserendam, statuendum in primis erat, ne temerè diceretur. Verum, dum partem alterutram Bernal. ac Recentiores illi probare à ratione contendunt, nihil sanè pro alterutra præstant. Nam Bernal. ex incapacitate substantiæ propriæ in accidentibus incapacitatem eorum, vt à supposito alieno assumantur, probat: existimans quidquid persona esse non potest personæ vniti minimè valere. Ostendimus autem d. 1. q. 1. cert. 2. num. 5. accidentia assumi posse ad vnionem hypotheticam, & d. proæm. & d. 2. q. 1. non quidquid assumi à persona potest debere cum illa personam constituere, aut propriæ substantiæ esse capacem. Recentiores verò ex necessitate modi perleitatis pro accidentibus in statu separationis oppositè discurrunt: quam tamen nos d. proæm. abundè etiam confutauimus: quare nihil ab his, atque à Bernale pro alterutra firmum affertur.

CERTAMEN II.

Nostrum de sanguine & humoribus indicium.

1 Ico primò: Sanguis intra corpus Christi existens assumptus in se, & immediatè à verbo fuit. Est de fide, vel fidei præceptum contra Durandum & assecas. Probatur primo: quia homo perfectus à verbo ex patribus, & Conciliis assumptus sanguinem includit. Confirmatur: quia homo in scriptura idem;

R. P. Christoph de Ortega, de Dei incarnat.

atque caro & sanguis est. Mattha. 16. num. 17. *Caro & sanguis non reuelabit tibi.* ad Ephes. 6. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem.* idest non reuelabit tibi homo, nec aduersus hominem pugnamus. Ergo dum homo assumptus desinitur & carnem, & sanguinem assumptum, esse decernitur: ne dum cum perfectus homo assumptus statuitur. Probatur secundo: quia, si tantum assumptus esset sanguis, quatenus in corpore continebatur, non autem in se immediatè semel effusus non mansisset vnitus: siquidem, quod eatenus solum tenebatur, quatenus in alio est: v.g. aqua in vase, cum semel effunditur non tenetur: ergo sanguis Christi effusus vnitus verbo non mansit: atqui hoc est erroneum, vt dicemus concl. 2. ergo diem sanguis fuit in corpore Christi vnitus in se, atque immediatè verbo fuit. Tertio: quia sanguis Christi in se secluso merito offerentis fuit pretium nostræ redemptionis, vt de satisfactione Christi agentes ostendimus: atqui hoc solum ab vnione cum verbo habere potuit: ergo in se vnitus fuit verbo sanguis Christi.

2 Quarto probatur ex 2. ad Hebr. vbi Paulus ait: *Quia ergo pueri communicauerunt carni, & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem.* Ex quo loco Cyrillus Alexandrinus de recta fide ad Regin. capit. quod vnica, & vnigenita Christus, & de incarnat. vnigeniti. cap. 11. circa finem nostram conclusionem deducit, atque epist. ad Nestor. sæpè citata approbata ab Ephesino tom. 1. cap. 12. & Calcedonensi act. 1. post med. p. 1. anathematismi 3. ait. *Verbum verò factum esse carnem nihil est aliud, quam, quod in carne, & sanguine nobiscum similiter communicauit, ac nostrum corpus proprium sibi fecit.* Respondet Bernal. lect. 3. citato n. 18. ex hoc loco, & ratione, vt sonat, plus probari, quam intenditur, & oporteat. Nimirum verbum capillos, & vngues, etiam in se & immediatè assumptisse: quod reputat absurdum. Sed primò: id non absurdum, sed verum omnino est, vt cert. 3. ostendimus. Secundo ex ea ratione nullatenus inferitur: cum homines non eodem modo communicent capillis, & vnguibus, atque carni, & sanguini, vt patet nam his communicant vt intimioribus sui partibus, illis vero solum, vt ornamentis. Tertio, cum sit Apostoli ratio atque Cyrilli propria vocum significatione contenta reici minimè potest, quin eius loci, vt rationis sensus aprior afferatur, atque is, quem diximus, à mente, & textu, siue contextu eorum ostendatur alienus, id quod neque à Bernale præstatur, neque, vt æstimo, præstari potest.

3 Sed audiatur idem Cyrillus. hom. in Concil. Ephesino, ordine 5. t. 4. operum suorum sic effatus: *Et ecce enim verbum Dei, cum Deus sit, carnem assumpsit, ac sanguinem.* & epist. 29. ad Acacium Melitens. post med. *Deum hominem factum esse, (ait) propter carnis, & sanguinis assumptionem.* atque Apologet. pro anathematismi defens. 10. circa finem. *Confitemur quod Deus est in carne, & sanguine:* per vnionem, de qua loquitur Naz. trac. de fide Nicæna, seu orat. 50. relatus in actis Liberij t. 1. antiquæ compilationis cap. 5. ait *Deum permanentem etiam hominem natum, non putandè, sed verè: non acreum, sed corporeum; non phantasticum, sed carneum, ossa sanguinem sensum, & animam habentem.* Denique Tridentinum sess. 13. cap. 3. definit partes Christi esse corpus, & sanguinem quare eodem modo, ac corpus in Christi partibus numerat: quod non posset, si sanguis non in se, sed ratione corporis verbo esset vnitus. Adidique propterea verbum per concomitantiam æquè esse sub speciebus vini in calice, atque sub speciebus panis in hostia: ergo æquè vnitum est verbo sanguini, ac corpori Christi immediatè & in se. Ea enim solum per concomitantiam ponuntur in sacramento, quæ vnita eis, quæ vi verborum ponuntur in se ipsis sunt. Dices poni ratione vnionis mediata, quia vnitum est carni, seu corpori, quod

Q 9

sanguini unitum est. Contra primo: quia id non est potest per concomitantiam cum sanguine, ut ait Tridentinum, sed cum corpore, quod est per concomitantiam cum sanguine in calice: ac proinde non eodem modo, atque est per concomitantiam sub speciebus panis in hostia, atque esse verbum in calice Tridentinum. Contra secundo: quia non alio modo esset verbum in calice, quam accidentia corporis Christi, quod est aperte absonum.

4. Dico secundo. Sanguis effusus: unitus verbo in triduo permansit, definitum hoc fuit à Clemente Pap. 6. contra Theologum illum Barcinonensem cuius definitionem referunt directorum inquisitor. Syluester eius definitionis ad inquisitorem Nicolaum Roselli Dominican. missa oculus testis, ac Dominicus de Dominicis citatis locis. Damnationis huius verba sunt damnare ut erroneum & hereticalem hunc articulum: quod in sanguine Christi sparsus in Parasene non remanserit diuinitas, nec sanguis ille erat desiccatus. Rursus definit oppositam veritatem in extrauagante Vigenius, illis verbis: Non guttam sanguinis modicam, (que tamen propter unionem ad verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset) sed, velut quoddam profuuium noscitur effudisse; vbi de unionem sanguinis non solum venis, & corpore inclusi, sed præcipue in ipsa effusione, qua in facto esse oblatu ille fuit, Pontifex loquitur. In quam eandem sententiam Pontificis plura Patrum testimonia aduocari hic possunt, quæ dabimus infra de Christi satisfactione agentes controu. 6. d. vlt. q. vlt. cert. vlt. Nescio autem, qua fide, vel fronte ex aduersariis aliqui apud Valsq. & Lugo proxime cap. 7. definitionem Clementis 6. negent, quæ tot testibus, ac textibus comprobatur: atque allegent decretum memorari Pij Pap. 2. ne quis alterutram huius quæstionis partem damnaret, donec altera auctoritate apostolica definiretur; cum tamen nullibi tale decretum extet, nec ab alio, quam ab eis mentio ipsius fiat. Idcirco oppositam conclusionem graui censura dignam merito iudicauit Cardinal. de Lugo cap. 7. Secundo probatur conclusio ab absurdo: quia, nisi in triduo mortis sanguis unitus in se verbo fuisset, hoc nullatenus in calice esset: cum per concomitantiam ea solum esse possint, quæ unita illi sunt, quod vi verborum ponitur sub speciebus sacramentalibus: tunc autem ne mediare quidem ratione unionis ad corpus, unitum sanguini erat verbum in aduersa sententia: cum extra corpus esset effusum; imo, ut bene ait Vvadingo dici Christi nomine non posset verè. *Hic est sanguis meus*, cum personæ Christi, quæ fuit, tunc sanguis ille non esset: quæ sunt absurda contra omnes Theologos. De reliquis modis negandi unionem effuso Christi sanguinis in triduo constat eos etiam præfata definitione tangi: cum de quavis gutta effusi sanguinis loquatur.

5. Dico tertio: Reliqui humores, flegma, bilis, ac melancholia, atque spiritus vitales, & animales assumpti in se à verbo fuere. Est fere omnium conclusio. Caietani (in quo consequentia desideratur ad ea, quæ dixit de imperfecto sanguine) Soto, Syluestri supra, Valsq. c. 7. n. 33. Soar. d. 15. sect. 7. Bernal. sect. 3. n. 23. Vvadingo dub. 10. fin. Lugo. d. 14. sect. 8. communis ratio: quia hæc omnia ad integritatem naturæ assumptæ, æquè, atque sanguis, spectant, atque illi maxima ex parte admixta sunt. Quò circa legendus est Egidius de Præsentar. tom. 3. de Beatitudin. lib. 2. q. 7. & 8. passimque Philosophi, ac medici. Ex Patribus Damasc. 2. de fide cap. 12. August. epist. 146. & libr. de spiritu, & anima cap. 15. vbi asserunt humanum corpus quatuor humoribus hisce constare: ergo ad veram humanitatis integritatem æquè hi tres, atque sanguis, spectant: ac proinde æquè illos, atque hunc in se, & immediatè verbum assumpsit. Secundo æquè de illis, ac de sanguine probat ratio Pauli, & Cy-

rilli. Imo, cum sanguis venis inclusus quatuor humoribus constans massa dicatur, non solum ratione sed textibus ipsis. Nam sanguis in eis eo modo, quo humano, & vulgari modo accipi solet, eoque sensu positus in eis est. Ex quo etiam constat de aliis etiam tribus humoribus sanguini effuso Christi admixtis censendum esse in triduo unitos verbo perfeuerasse. Quin imò de eis speciatim nihil à pluribus asseri, quod dum de sanguine agunt, de eis etiam agere existiment dubium mihi non est. De spiritibus, etiam vitalibus, & animalibus, qui viuuntibus hominibus ad naturæ, & facultatum functiones, inseruiunt, faciliè id ipsum suadetur.

CERTAMEN III.

De Capillis, & vnguibus statuitur, atque ab obiectionibus conclusiones liberantur.

1. De capillis, & vnguibus dico quartò, assumptos in se à verbo fuisse. Probatur ex Athanas. epist. ad Epictet. relata ab Epiphano hæresi 77. & ex Ambrosio de incarnat. Dominicæ sacramento c. 6. inferentibus contra Eutychianos, si Deus conuersus esset in humanitatem assumptam, in vngues, & capillos conuersum fuisset, cum tamen non nisi in id, quod in se assumptum fuit conuersum Deum Eutychiani assererent, neque assererent speciatim vngues, & capillos assumptos in se fuisse, sed solum humanitatem: quare assumptione humanitatis in se ab ipsis admitti, admitti necessario deberi assumptionem capillorum, barbæ, & vnguium Patres supponunt, atque ex conuersione in id, quod in se assumptum à Deo fuit, conuersionem in vngues, & capillos inferunt. Dico assumptionem capillorum in se fuisse Eutychianorum sententiam expressam, vnde rectè ex alio suo errore conuersionis Dei in id absurdum à Patribus 23. Sed contra nullibi id expressisse apud Eutychianos legitur. Secundo: quia Patres ex conuersione in humanitatem assumptam Eutychorum solummodo inferunt, ut videre in ipsis est: quare assumptione humanitatis ab eis admitti capillorum, & vnguium assumptionem supponunt. Et merito quidem: quia hæc omnia ad ornatum & perfectionem, humanitatis spectant, illius etiam, quam in Adamo plantauit Deus: licet autem non sint adeò necessaria atque organice partes ad vitæ munia, sunt tamen ad aliqua: vix enim quidquam ab exungui digitis tractari potest: certumque sit Deum perfectam naturam, & quam in Adamo plantauit, assumpsisse: quare illam cum capillis, & vnguibus assumpsisse certum esse debet. Calua enim, exunguis, & imberbis humanitas monstrosa, & ridicula est, non perfecta; & quæ fuit in Adamo plantata. quod si ob beatitudinis decentiam, non exunguis, & calua humanitas, sed cum capillis, barbæ, & vnguibus admitti ad illam per omnes Theologos debet, potiori iure, non nisi cum eis ornamentis ad unionem cum Deo assumptam esse credendum est. Denique æquo cum Lugo num. 111. vel hæc sunt partes absolutæ integrales corporis Christi, vel non? Si sunt: cum integrum absolute corpus in se verbum assumpsit, & hæc assumpsit: si non sunt: ergo non sunt in Eucharistia contra Valsq. 3. p. t. 3. d. 185. cap. 2. n. 23. quia, nec vi verborum, erunt, ut patet, nec per concomitantiam cum ex Trident. sess. 13. cap. 3. ea solum corporis Christi per concomitantiam in sacramento sunt, quæ coniunctionem integram habent cum illo. Nec satis est in illo tanquam effectus contineri, ut responderet Valsq. tum quia id non dixit Tridentinum: tam quia chilus, & salua sic continetur in illo, pluræque alia, quæ tamen omnium sententia sub speciebus

speciebus sacramentalibus, adhuc concomitanter non sunt.

2 Dico quinto ea omnia, & prædicta cert. 2. verbum in perpetuum assumptum. Est omnium Theologorum conclusio: qui perpetuitatem vnionis hypostaticæ partium essentialium à Patribus assertam ad partium integralium vnionis perpetuitatem extendunt ex illo proloquio: *Quod semel assumptum nunquam dimisit.* Sed occurrit in omnibus difficultas. Nam aliquas materiæ, imò, & carnis partes nutritione deperditas videtur certum: aliquot item vitales spiritus, & animales operationibus vitalibus, & animalibus consumptos, qui proinde perseuerare in vnione deinceps non poterunt. Item præputij pars ablata, sanguisque circumcissione, ac passione effusus, qui iam dubio procul perire, formamque mutant, vt qualitarum mutatio ostendit, atque otiosa vnionis hypostaticæ in illis perseuerantia minimè perseuerare satis suadet; capilli etiam, & vngues præcisi, vt ab hominibus sæpè præciduntur, vt quid vnica hypostaticè permanere dicenda sunt? Respondetur cum iis quæ perisse admittantur, & eorum vnionem ad verbum perisse, quia dimiterentur, vt vidimus. De aliis vero, quæ non perierunt dupliciter respondeo illud proloquium, nostramque conclusionem de integra quo ad ea omnia, eademque humanitate assumpta moraliter eadem, non physicè, ac metaphysicè eadem, intelligi debere non esse dimissam. Sicut enim idem homo moraliter fuit puer Iesus, ac vir, licet plures materiæ, & vnionis partes vir, quam infans habuerit: ita, & idem homo, seu humanitas Christi moraliter perseuerare vnica dicenda est, cum aliquot eius materiæ, atque vnionis partes nutritione, atque operationibus vitalibus abscesserint: ac proinde idem ipsum moraliter, quod assumptum est nunquam fuisse dimissum, sed perpetuò vnium perseuerare. Secundo, nihil eorum, quæ assumpta semel sunt, esse dimissum: ex perfecto enim corporis Christi temperamento, parique tibi scientia, & electiois proueniebat, vt ex spiritus vitales non in tanta copia gignerentur, vt, nisi exhalarentur, coniuncti ad vitæ finem temperamentum soluerent: inde etiam effectum, vt nutritione nulla ex acquisitis pars periret: ac tandem, quod nulla excrementa gigneret superflua, vt plus iusto pilli, & vngues excreverent, sed potius intonfus obierit.

3 Pars vero præputij ablata addita, quantum ad trigenarij corporis morientis Christi proportionem fuit satis, vnica, & resumpta à Christo resurgente fuit: sanguis etiam totus, siue incircumcissione, siue in passione effusus, vt exangue corpus repletur: quin vlla eius guttula in terra peristerit, vt docet S. Thom. 3. p. q. 54. à 2. ad 3. quin Athanas. non quidem ille Magnus, alter laudatus in 7. Synodo gener. Nicæna fuit, quod solum in Eucharistia sanguinem Christi apud nos esse dixerit: quare S. Thom. eum, qui alicubi seruatur ex aliqua imagine fluxum censetur loco citato. Quod, & nos, si sanguis adhuc miraculosè perseueret verum putamus. Aliqua verò effusi à Christo sanguinis vestigia permanere adhuc negari posse non videtur: sed ibi tamen accidentia ipsius languida sunt in materia denuò à Deo parata: quod maius miraculum non est, quam sanguinem totum in Christi resurgente glorioso corpore producere. Nec refert Bulla Pij 2. ad Abbatem S. Mariæ Xantonensis Diocesis relata à Syluestro supra, & Vazq. c. 8. n. 39. Veritatis fidei nullatenus repugnat affirmare Redemptorem nostrum de sanguine præfato, ob ipsius memoriam aliquam partem in terris reliquisse. Neque enim nos fidei repugnare asserimus, sed non esse relictam. Quæ obici solent, quod capilli, & vngues non viuunt: neque subsistentiæ propriæ capaces sint: &, quod dici possit esse plures naturas in Christo, satis dissecta in superioribus sunt. Item, quod Deus dici possit effusus, si vnitus effuso sanguini fuit, negatur: quia communicatio inter partes, & Deum idiomatum non est. Si in fides: ratione vnionis ad animam separatam dicitur ad inferos descendisse, & sepultus ratione corporis.

R. P. Christoph. de Ortega, de Dei incarnat.

ris. Respondetur ea omnia, quæ ratione partis de toto homine dicuntur, dici de verbo, qui ratione vnionis homo dictus est: quæ vero ratione partis de toto homine dicuntur ex vsu pendere, qui ea, quæ parti, qua pars est conueniunt, dici de toto non admittit. Huius generis est denominatio effusi, secus denominationes descendentes, & sepulti.



QVÆSTIO IV.

De termino formali, & immediato vnionis hypostatica ex parte assumptis.



ERTVM ex dictis est vnionem non esse factam ad naturam communem secundum se formaliter, neque ad tres personas, sed ad verbum. Dubium autem est, an ad solam personam formaliter, & immediatè, an ad totum verbum sit facta?

CERTAMEN I.

Tres opiniones Theologorum confutata.

1 Theologie funambulis Durandus in 3. d. 1. q. 2. d. 5. q. 1. & 2. Docet vnionem factam fuisse ad naturam, & subsistentiam communem absolutam immediatè, & formaliter secundum se sumptas & immediatè, prius tamen ad absolutam quam ad filiationem, Cui sententia dum nimis aduersatur Capreol. d. 1. q. vnic. à 1. concl. 4. & à 3. Ad argumenta Durandi contra 4. conclusionem, subscribit tandem, nisi quod prius ad subsistentiam filij, siue filiationem, quam ad absolutam communem vnionem factam asseruit. Eum sequitur Aluarez d. 2. 1. de incarnat. Dissert. ab his parum egregius Dominicanus, Magister Victoria, ac Dominicus Soto apud Vasq. d. 26. c. 2. n. 5. asserentes ad subsistentiam communem absolutam, & relationem filij indiuisibiliter fuisse terminatam vnionem. Commune fundamentum posuit Durandus: quia tota hypostasis ratio in diuinis in communi illa, & absoluta hypostasis itaque quare nisi ad eam vnio terminetur neque natura humana hypostaticè assumeretur adeò nisi autem ad verbi etiam proprietatem simul terminaretur non magis verbum, quam personæ aliæ, in carnaliter contra fidem.

2 In præfata sententiæ omnes ratione eius, in quo conueniunt de vnione ad subsistentiam communem temeritatis arguuntur à Doctoribus. Nam Capreolus periculosam Durandi sententiam appellans suam reuera damnauit. Caietan. errorem somnium appellat, cuius censuræ subscribit Bernal. d. 22. sect. 1. n. 1. Ego verò licet ad aliorum censuras semper veniam inuitus temerarias sententias hæc iudico: quia vnica subsistentiam communem in Trinitate, siue vno scripturæ, aut Patrû testimonio commentitiè supponunt: imò contra Patres, & Concilia. Primo: quia in singulari solè, & proprio personarum hypostases, & personas in diuinis admittunt, de quarum ratione omnimodam singularitatem esse aiunt, quæ nimirum cuius substantiæ communitati repugnet, vt ex d. proæ. q. 1. cert. 1. & memoratisque contr. hac, & memorandis contr. 5. d. 2. q. 1. satis constat. Secundo: quia, vt controu. de Trin. d. 7. q. 3. referebam, personalitas, & proprietates in diuinis pro eodè apud Patres, & Concilia vsurpatur: ergo ex eorû sententiæ repugnat personalitas, quæ proprietates alicuius personæ non sit. Vnde constat temerè, vt minimè, subsistentiam vnica communè in diuinis admitti. Tū quia præter ea, quæ de mysterio tanto Deus reuelauit, Patresque, & Concilia descendit, aliquod

Qq 2 non